Andr. Judith: Taddeo Hageio ab Hageck, S.P.D. 31

Vhaj: Medico.

Excellentissime Vir et Amice honoratissime et charissime.
Jucundissimas tuas literas accepi, legi etiam, quas ad Dn. Wittichium scribis, si hic esses, aut nos tecum, nihil nostra consuetudine optatius, ne jucundis quidem fingi possit; amamur inter nos et ad studia Mathematica pari studio ferimur, quo vinculo nullum arctius esse queat. Observationes tuas in unum colligi cupio. Do operam, ut Wittichium non solum in hac urbe retineam, sed in domum meam recipiam; ut observationes instituamus, et ego ea, quæ mihi exciderunt, ab intermissione horum studiorum repetere, et alia ab eo addiscere possim, quæ à nullo alio nisi à te ipso. Equidem hunc hominem non tam meo judicio (: quid n. ego judicii de colore? quam tuo testimonio magnum artificem esse jam persuasum habeo. Doleo vos à Patronis meis dissidere, quod vereor, ne amicitiæ vestræ hoc impediat curtum aut fieri forte nolle. Est n. ille quoq; vir optimus et integerrimus. Salva igitur amicitia cuperem vestras de rebus sententias discrepare, animis nihil inimicis. Misit ad me binas literas tuas de æquatione dierum, et eorum responsorum summam accepi petente. Mallem suas quoq; literas misisset de hoc argumento ad vos scriptas. Ego me nondum explicare possum ex hac quæstione; sed vereor ne sit animis subtilis potius, quam vera dissentanea. Nam nisi fallor, eadem tandem redibit calculi, sive vestra sive illig obtineat sententia. Verum de his cogitabo amplius et cognoscam sententiam vestram ex D. Wittichio. Hoc tantum rogo te plurimum, ut non sis hanc ob rem alienatus à Patronis meis animo. Magnus ille Astrologus, qui felicia promittit ex Cometa, tuus ille est adversarius, contra quem spongiam tuam quæro ubique, nec tamen invenio. Wittichius nescit, cui desierit. Ad objectiones tuas, quas in literis tuis breviter attigisti, habeo, quod respondeam, sed expecto ampliora illa, quæ promittis te missurum; tum una opera habebis responsum meum ad omnia. Non hanc contendendi studio (: quis n. ego sum, qui tecum in palæstram descendam? :) sed veritatis investigandæ cupiditate. Mitte igitur, si me amas, omnia, tum in me tum in alios in hoc argumento. Nunc sub prælo est Tractatus liber, qui magnis

viribus Cometarum admiratores superstitiosos oppugnabit. Ostendanti-
bi illum sui oblitum contra divisionem suam illud scripsisse, quo
sibi cavit, ne profanq videatur, ut habentur ii, qui meam sententi-
am tuentur. Quibus certè injurii sunt viri boni et malè colligunt
consequentias etc. Cupio scire, num Brahe. s: cujus librum proximè
tibi remittam :s adhuc vivat, ubi sunt tot ejus observationes et alia
quæ multa promittit? Quicquid de te deliberaveris, rogo, ut sciam.
D. Senato promovit in Aulicum Medicum S. Monavium, doctum
sanè et bonum juvenem; Philosophy, Medicq, Theologq est. Græca
Lat: Heb: Linguæ peritissimus. Vale mei, ama et quoties potes,
scribe sustinq; gratissimum facies. Uratisl. 29. Januarij 1580.

4.) Andr: Dudithij Eidem Taddeo S. P.

Excellentissime Dñe et Amice observande. Quod tam diligenter
et liberè ad meptias meas rescribas, magnam tibi gratiam habeo.
Crede mihi gratissimas jucundissimasq; accidere literas tuas, quas
si crebro scribes, plurimum me tibi devinctes, etsi jam ante tibi
addictiss: tuisq; per quam studiosum. Eclipseos observationem
scripsit jam antè ad te M. Wittichius et nisi fallor, ipsamq;
designationem cum calculo adjecit, ad unguem ferè respondent
omnia, pauculis scrupulis superantibus, præsertim in observatione.
Nam non fuit tota observata D ut tu te observâsse scribis. Ego
autem hic quoq; nubes non parum nobis impedimenti attulerunt,
tamen assiduo et diligenti ac ferè superstitioso intuitu deprehen-
dimus in pũa D XII. partem, plus minus, lucidam remansisse.
Equidem ut in reliquis ad hanc divinam scientiam pertinentibus
parum exercitatus sum, ita in observationibus planè tyrocinium
illa nocte deposui. Quare non est mirum, si forte à tuis, vete-
ranis Ducis observationibus mea discordat. Jam, quod ego, affirmat
se Wittichius observâsse. Nam reliqui convivæ, quos advoca-
veram ad hoc spectaculum, non potuerunt ferre molestiam.
Sed non expectata media obscuratione domum dilapsi sunt, nos
ab initio ad finem usq; perduravimus, dum tota iterum è tene-
bris emersit et pristinam lucem suam recepit. M. Prætorius
misimus calculum Wittichij ante Eclipsin XII. diebus, rogavi,
ut ille quoq; nos de sua notatione certiores faceret, factu-
rum puto. Illud mihi jucundum quoq; fuit, quod de tuo in ipsum ani-
mo in literis tuis legi. Ita decet D. Taddeum. Scio unde ma-
navit, quod ad te scriptum est. Non scribit Prætorius vos ignorare
Epocha